PA 6223
.A9
Copy 1

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 073 144 A

PA 6223
.A9
Copy 1

QUAESTIONES AUSONIANAE

MAXIME AD CODICEM VOSSIANUM 111 SPECTANTES.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

RITE OBTINENDOS

SCRIPSIT

CAROLUS OTTO AXT
NIEDERSTRIEGISENSIS.

LIBRARY OF CONGRESS
79576

LIPSIAE
TYPIS EXPRESSIT C. GRUMBACH.
MDCCCLXXIII.

PA6223
.A9

TMP96-003700

VIRI ILLVSTRISSIMI

FRIDERICI FRANKII

SCHOLAE REGIAE AFRANAE MISNIENSIS RECTORIS

MANIBVS

PIETAS.

Latet adhuc inter poetas Latinos inferioris aetatis paucis tantum notus nec multum tractatus Decius Magnus Ausonius Burdigalensis, qui, quamvis in optimorum poetarum numero non habendus sit, tamen non solum propter jucundissimum dicendi genus magnamque carminum suavitatem, sed maxime propter admirabilem quam illa redolent doctrinam [1]) summumque ingenii acumen dignissimus est, qui studiosius tractetur. Quo autem saepius recentissimis temporibus id fieri solere videmus, ut multo major criticorum pars emendandis eis antiquitatis scriptoribus omnem operam navent, qui praestantissimi ideoque notissimi sunt, eo magis operae pretium esse videtur, etiam in inferioris aetatis auctores, qui minus noti sunt quorumque plurimi artis criticae auxilio valde egent, accuratius inquirere.

Ausonii igitur scripta, ad quae emendanda hac commentatione aliquid collaturus sum, uno Mosellae carmine excepto [2]) inde ab anno 1730 h. e. ab editione Juliani Floridi, quam Joannes Baptista Souchacus (Souchay) cum animadversionibus suis illo anno in publicum prodire jussit, ne

---

[1]) Cf. Eliam Vinetum in edit. a. 1604 praefat. haec dicentem: Nullam Ausonius disciplinam ignoravit; omnes Latinos Graecosque scriptores, quorum major pars intercidit, ad unguem novit. Hinc in ejus scriptis multa se ostendit et varia eruditio, ut cuivis legenti non statim queant intellegi.

[2]) Multum huic carmini emendando profuit Ed. Boeckingius recentissima (tertia) Mosellae editione amplissimo apparatu critico instructa, in „Jahrbücher des Vereins von Alterthumsfreunden im Rheinlande“ vol. VII, 1845.

ab uno quidem philologo his centum et triginta annis tractata sunt. Unde primum hoc sequitur, ut editio perfecto apparatu critico instructa, qualem nostris saltem temporibus requirimus, admodum desideretur; nam editio, quae Londini a. 1832 maxime ad Souchaei rationes prodiit, quamvis illam prae se ferat speciem, tamen nihil aliud est nisi denuo prodita Bipontina a. 1785 cum iisdem Floridi et Souchaei animadversionibus, notis variorum quas dicunt aucta. Exceptis autem Jacobo Tollio[3]) et Henrico Boltio,[4]) qui propriam quandam emendandi viam ingressi sunt, ceteri editores omnes in verbis Ausonii constituendis redierunt ad curas haud mediocres Eliae Vineti et Josephi Scaligeri. Quos quidem viros doctos corruptis poetae scriptis quantum ab illius memoriae philologis fieri potuerit profuisse minime negaverim; id autem plane profitendum est, non nulla corrupta eos intacta reliquisse, multa haud probabiliter mutasse. In primis igitur illos censeo vetere codice Lugdunensi Isaaci Vossii no. 111 notato, quo tanquam fundamento scriptis Ausonianis constituendis usi sunt, non ita ut oportebat usos esse, cum alias scripturas, quas parum diligenter legerant, falso exscriberent, alias, quae ansam emendationis aptissimam praebent, prorsus omitterent, alias per aliquem errorem ortas aperteque falsas quibuscunque argumentis genuinas Ausonii esse docerent. Itaque non abs re fore putavi, codice illo quantum pro viribus meis datoque temporis spatio fieri poterat excusso[5]) nonnullis exemplis docere, quae quantaque auctoritas codici Vossiano 111 (V compendio in hac commentatione plerumque utar) tribuenda sit. Prius autem, quam ipsum hoc munus suscipiam, prorsus necessarium esse mihi videtur, ut de libris Ausonianis manuscriptis et de

---

[3]) D. Magni Ausonii Burdig. opera Jacobus Tollius recensuit et integris Scaligeri etc. notis nec non et suis animadversionibus illustravit, Amstelodami 1671.

[4]) Henrici Bolt Silva Critica, in qua compluria auctorum veterum, Ausonii praesertim, loca vel emendantur vel vindicantur, Harlemi 1766.

[5]) Summas debeo gratias Gulielmo du Rieu, bibliothecae Leidensis conservatori, qui benignissime hunc codicem conferendi causa Lipsiam mihi misit ac paulo post etiam codicis Vossiani no 33 collationem mecum communicavit.

ratione, quae inter singulos intercedat, pauca praemittam. Nam quae Raehsius („de re metrica Ausonii", dissert inaug. acad. Rostoch., Berol. 1868), qui solus adhuc de hac re disputavit, pag. 4 et 5 commentationis suae attulit, ea sine ullo ordine ac ratione congesta sunt nec raro aperte falsa, ut vix quisquam magnum inde fructum percipere possit.

Ausonii scripta hoc quidem tempore jam nullo libro manuscripto omnia integra exhiberi, sed in his plerisque frustula tantum Ausoniana inesse, id in primis dolendum est: qua ex praesidiorum inopia sequitur, ut certius aliquid de ratione inter libros intercedente proferre difficillimum sit. Sed tamen hoc persuasum mihi est, verba poetae, qualia nunc in editionibus exstent, redire ad duos[6]) hos antiquissimos quantum sciamus fontes, codicem Vossianum no. 111 (V) et codicem Joannis Tilii Engolismensis (Angoulême), scripturis admodum discrepantes. Multi e ceteris libris recentiores cum alterutro cognationis quodam vinculo cohaerent, ita ut duae familiae scripturis discrepantes distingui possint. Hoc igitur ordine singulos libros manuscriptos nunc afferam et eorum, quantum ejus fieri poterit, argumenta atque indolem enarrabo; tertio loco eos libros, de quorum origine scripturisque equidem nihil fere adhuc compertum habeo, secundum eorum argumenta compositos addam.

I.

Codex Vossianus 111 ejusque familia.

1) *Codex Vossianus* numero 111 notatus, initio saec. IX longobardicis litteris exaratus, de cujus externa forma et condicione accurate disputavit Al. Riesius, Anthol. lat. II praef. p. XVI—XVIII, non multo post annum 1551 in antiqui Barbarae insulae coenobii bibliotheca a Stephano Charpino, sacerdote Lugdunensi, repertus est (cf. Jo. Alb. Fabricii bibl. lat. ed. ab Aug. Ernestio). Qui quidem liber primum editioni Tornaesianae anni 1558 fundamentum fuit, ad cujus auctorem certe multa ea quae initio cujusque carminis adscripta inveniuntur signa imprimendi causa notata redeunt.

---

[6]) Alterum Vossianum quem dicunt de industria hoc loco omitto.

Ut igitur de argumento codicis dicamus, ea, quibus unicus fons V est, sunt praeter nonnulla epigrammata Ephemeris, excepta ea quae *oratio* dicitur parte, Parentalia, Professores Burdigalenses, Heroum epitaphia; desunt autem in V, si editionem Bipontinam in numerando sequimur, haec:

1. *Epigrammata* I—VII, IX, XI—XXII, XXIV—XXXIII, XXXV—XLIII, XLIX, L (LIII inter epitaphia relatum est), LIV, v. 3—8,[7]) LV—LXXI, LXXIII, LXXIV, LXX—LXXX, LXXXIV, v. 3—6, LXXXV, LXXXVIII—XCI, XCIII—CXXXVII, CXXXIX—CXLVI; —

epigr., in quibus fastorum a se digest. meminit III et IV; —

2. *Professores Burdig.* XVI—XXII; —
3. *Epitaphia* XXVIII—XXX, XXXIII, XXXIV, XXXVIII;
4. *Septem sapientum sententiae* (pp. 147—150).
5. *Edyllia:* VI cum praef. in prosa (Auson. Gregorio filio s.); VII (carmina in Bissulam) cum duplici praefatione, X (Mosella), XII (Technopaegnion) praefatio altera vel potius dedicatio: Auson. Paulino suo (pp. 195—196), XIII (cento nuptialis) cum praefatione: Auson. Paulo S., XIV (Rosae), XX (Musarum inventa).
6. *Eclogarium*: Signa coelestia, Ratio dierum anni vertentis (pp. 226—227). De mensibus et quattuor anni temporibus (p. 228); —
7. *Epistulae*: X—XVI, XVIII—XXII; —
8. *Gratiarum actio;* —
9. *Feriochae* in Homeri Iliadem et Odysseam;
10. *Diversorum epistulae* ad Ausonium: Theodosii Augusti; Symmachi epist. I—V, Paulini epist. alterius vv. 49—68.

Quod ad originem hujus codicis attinet, rectissime puto ab Al. Riesio loco supra commemorato pag. XVIII disputatum esse, qui contenderet, collectionem in V (ipse codicem E littera notavit) exhiberi vel ab ipso Ausonio factam vel

---

[7]) Inde a v. 3 hos versus, qui in altero quoque Vossiano codice exstitisse dicuntur, V praebet:

Nil, inquit, tibi, Croese, tuum superat, mihi cunctum;
Nudus eram: sic sum; nil habui: hoc habeo.
Rex ait: Haud egui, cum tu, mendice, carebas
Omnibus et careo, si modo non egeo.

saltem ad ejus voluntatem concinnatam, id quod potissimum inde conclusit, quod carmina quaedam non Ausoniana certas ob causus huic collectioni inserta diserte a poeta abjudicantur eis, quae illis inscripta sunt, verbis; nec minus eo adducimur scripturis hujus libri cum ceterorum scripturis comparatis. Jam vero non satis laudari poterit ea Vossiani virtus, quod prorsus caret interpolationibus, quae in aliis codicibus excutiendis summam criticis difficultatem facessere solent, et ab una tantum manu plane ubique distinguenda exaratus est. Ex qua virtute id certissime concludi posse mihi videtur, ut remotis multis ac variis qualia librariorum vel incuria vel inscitia oriantur vitiis genuina Ausonii verba in V praebeantur. Hoc autem me admonet, ut certa quaedam vitia, quae iterata in iisdem vel similibus vocabulis reperiuntur, una cum usitatis compendiis afferam, tum correctiones codicis uno verbo attingam.

Praeter notissima confusionis exempla velut inter *e ae oe*, *b* et *v*, *q* et *c*, *c* et *g*, *g* et *j* litteras, *h* aspiratae falso loco appositae vel omissae (velut *hac* pro *ac*, *abere* pro *habere*) etiam haec reperiuntur: longobardicae scripturae qua V exaratus est ductibus *a*, *u*, *n*, *ii*, porro *m*, *in*, *ni*, *ui*, tam sibi similia scribuntur, ut vix ulla fieri possit distinctio; huc accedit, quod *m* et *n* hac lineola supra praecedentem vocalem scripta — vel ¯ notantur, quod haud raro pro *i* majuscula (I) adhibetur, unde *i* et *l* inter se confunduntur, velut l' = lus, l' = ius, b' = bus, b = li, quod *ln* et *cn* saepius pro *m* (lnatris, opicna), *cs* pro *x*, plerumque *c* pro *h* (mici) scriptae sunt. Deinde syllabae finales, ut *bum*, *rum*, *tas*, *tur*, contra longobardicorum characterum naturam admodum pravis compendiis expressae difficiles sunt distinctu. Haec quidem hactenus de litteris ac syllabis. In ipsis vocabulis scribendis librario id potissimum vitio dandum est, quod modo litteras unius vocabuli cohaerentes in duo plurave verba distraxit modo complura verba in modum unius dictionis complexus est. Suspicor autem certis quibusdam ex vestigiis, de dictando illum interdum scripsisse, ut multa quem ad modum auribus non satis recte percepisset, sic, nec grammaticae nec rei metricae ulla ratione habita, in membranam scriberet: cujus rei exempla afferre longum est.

Correxit autem codicem partim eadem librarii manus eaque, ut videtur, statim in scribendo partim aliena, quam docti cujusdam viri fuisse suspicor, cum hujus additamenta multis locis medelam afferant; quamquam id quidem dolendum est, quod corrector ille, cum suas emendationes priori scripturae supra addere soleret, tamen haud raro etiam priorem erasit et suam in erasae locum scripsit.

Ex V codice igitur ea Ausonii carmina originem traxisse videntur, quae in his codicibus exstant:

2) codex *Sangallensis* miscellan.,[8]) numero 899 notatus (in titulo: Ep. Symmachi, et paulo inferius stilo cerussato numerus 867 additus est, fortasse ab G. Haenelio, qui in catal. libr. manuscr. Lips. 1830 ad annum 867 eum refert), membranaceus, fortasse saec. XI. (cf. Boeckingium, Jahrb. d. Vereins v. A. i. Rheinl. VII). Insunt Ausoniana haec: p. 3 Edyll. XII, p. 4 Edyll. XVIII (vv. 11—17 desunt), p. 22 Edyll. X Mosella, quod carmen in hoc codice optimas omnino scripturas praebet,[9]) p. 45 Edyll. XIX, p. 47 Edyll. XVI; praeterea p. 2 epistola Symmachi ad Auson. prima (Bip. p. 336).

Edyllia XVI—XIX e V codice fluxisse scripturae docent maxima ex parte conspirantes; ex quo fonte Mosellae carmen, quod in V non exstat, exhaustum sit difficile est dictu, nec quisquam adhuc in hanc rem inquisivit. Mihi quidem veri haud dissimile videtur, etiam hoc carmen ex eodem fonte fluxisse; certe enim olim eo tempore, quo Sangallense exemplar describebatur, inter multa alia Mosella quoque exstabat in primis quattuor quaternionibus, qui temporum injuria deperditi sunt.

3) Codex *Vossianus* numero 33 notatus, ab H. Keilio, qui gramm. lat. III p. 389—391 accuratius eum describit, ad X. saeculi fontes relatus, exhibet inter aliorum carmina

---

[8]) Uberius de hoc codice disputavit C. Schenklius, Berichte d. k. k. Acad. d. Wissensch. 1863, XLIII. p. 67.

[9]) Cum Raehsius de re metr. Auson. p. 4 ex eo, quod codex Sangallensis Mosellae scripturas optimas praebet, hunc omnino agmen ducere inter Ausonianos codices concludit, non recte judicat; nam non solum aetate, verum etiam multo majore carminum quos exhibet numero V praestantiorem esse constat.

inde a fol. 112 Ausonii Technopaegnion (edyll. XII), quod omnino cum V scripturis congruit, ut de ejus origine nemo dubitaverit.

4) Codex *Parisinus* no. 4887 notatus, membran., olim Puteanus, videtur XII saeculo exaratus (cf. catal. bibl. Paris. Reg. 1744 vol. IV). Insunt in eo Ausonii Caesares[10]): cujus carminis non solum verborum scripturae, sed etiam nomina Caesarum singulis tetrastichis inscripta cum eis quae in V exhibentur ita conspirant, ut vix dubium esse possit, quin hic liber V fontem habeat.

5) Codex *Mariangeli Accursii,* quem hic illic in commentariis commemoratum videmus, scripturas praebuisse dicitur cum Vossianis congruentes. Cum vero nihil neque ab Accursio neque ab ullo alio de ejus natura dictum reperiatur, sciri profecto nequit, num etiamnunc omnino exstet aut, si exstat, qui fuerit.

Recte fortasse huc addendi sunt tres libri ms. a K. Schenklio (Zeitschr. f. d. oesterr. Gymn. XV a. 1864) commemorati:

6) Codex no. 281 bibl. Palat. *Vindobonensis*, qui praeter versus septem sapientum (cf. Endlicherum, Catal. cod. phil. lat. Palat. Vindob. p. 171) fol. 142 praebet: Versus de institutione viri boni (edyll. XVI), cujus origo e V ducta elucet; codices *Parisini* no 7927 et 7936, in quibus hoc idem carmen inest, ejusdem fontis esse videntur,

7) Codex *Vindobonensis* no 306 $\left(\text{olim } \frac{3261}{\varphi\ 335}\right)$, chartaceus, saeculi XVI, cujus in fronte haec leguntur: Ausonii, Ovidii, Nemesiani et Gratii fragmenta Actii Sinceri manu scripta, Martirani et doctorum amicorum'; videtur paulo post quam V repertus est parum diligenter ex eo descriptus esse. Insunt autem in eo haec:

praef. II. (desunt vv. 39—44); praef. I. vv. 9—12; parent. II, 3—6; VIII, v. 5, 6, 9, 10; prof. I, 31—34; III, v. 11 12; XX, 7—14; XXIV, 9, 10; Coron. v. 7—10; —

---

[10]) Plurimum in hac re debeo humanitati ac benevolentiae *Ed. Woelfflini* Turicensis, qui summa liberalitate tum hujus et aliorum collationes mecum communicavit tum in indagandis libris manuscriptis multum me adjuvit.

epitaph. XIV; XXXI; epigr. LIII, LIV; edyll. XV; III; clar. urb. XV, v. 39. 40; IV, 1—6, VIII; orat. Paulini (deest in edit. Bip.); epistol. XXV, XXIV, 1—102, XXIII; Paulin. ad Auson. epist. duae; lud. sept. sap.: Solon, Chilon; Cleobulus; — eclog. XIV de duodecim signis.

Atque hic mihi locus esse videtur, ubi de eo libro disseram, quem interpretes in commentariis *alterum Vossianum* dicunt. Quem quidem Tollius (ad Epigr. VIII v. 3) eundem atque Tilianum Vineti codicem esse suspicatur. Quod aperte falsum est, neque ullis ille videtur nisus esse argumentis; exempla enim Tilianae scripturae a Vincto allata cum, ut paulo inferius docebo, maxime conspirent cum Ugoletianae editionis [11]) scripturis, haec autem nequaquam cum V cohaereat, vix cuiquam persuadebitur, Tollii suspicionem ullam prae se ferre veri similitudinem. Sed quantum ego singulis exemplis undique collatis scripturisque inter se comparatis cognoscere potui, alter Vossianus maxima ex parte cum V conspirat et ita quidem, ut certam inter eos exstare cognationem negari non possit atque ille, si quo cognationis nomine uti licet, frater Vossiani 111 sit appellandus. Quod quam verum sit, scripturarum conspectus docebit, ea quidem lege institutus, ut, ubi scriptura cum V congruit, V litteram, ubi discrepat, ipsam discrepantem scripturam apposuerimus.

1. **Epigrammata**: VIII, v. 3 *pocula gemmatis quum poneret aurea vasis [fercula gemmatis cum poneret orrida vasis]*; — XXVI, 6 *privos* [vulgo *primos*, in V h. c. deest]; — XXXIV, 3 *tineis* [V]; v. 4 *quod leviore malo* [V]; — XLV, 1. 2 *ipse* — *Ipse* [V]; v. 3 *hec sibi constant* [V]; LIV, 3, 4:

Nil, inquit, tibi Croese tuum superat: mihi cuncta
Nudus eram: sic sum; nil habui: hoc habeo [V]

LVII, 4 *in arbitrium* [deest in V]; LXIX, 9 *Caenida* [deest in V];

LXXV, 9 *dixi ego et omnes* [V prima manu *dixi* habuit, sed correctum ab altera manu in *dico*]; CXLVI, 11 *nec occupatur pagina* [h. c. in V deest].

---

[11]) Opera Ausonii nuper reperta (a Thadaeo Ugoleto edita). in fine: Impressum Parmae per Angelum Ugoletum Parmensem anno domini 1499.

2. **Ephemeris**: orat. v. 39 *nubila lunae* [V]; v. 52 *sceleri-errori ipse obnoxius* [*scelere — errori obnoxius*]; v. 82 *filius ex vero verus, de lumine lumen* [V]; —

3. **Edyllia**: IV, 25 *et truculenta ferox ferat ora magister* [*et t. senec gerat o. m.*]; — v. 39 *si forsan vixeris* [*si fors* ss ab al. in. *ita iuxerit*, (quae verba ad eundem fontem redire videntur)]; — XII monosyll. II. v. 4 fando [V]; de membris v. 4: *edurum* [*et durum*]; v. 6 *quis* [*quos*]; de cibis v. 10 *quinquagenis* [*quinquetenis*]; de histor. v. 2 *reus et* [V]; per interrog. et resp. v. 13 *quis fluitat pelago qui* [*quid f. p. quod*]; grammaticom. v. 2 *nequaquam quum pretio est merx* [*nequam quoque quum p. e. mens*]. —

Quae secuntur loca ut ad comparationem cum V adhibeantur, fieri non potest, quia tota haec pars e V intercidit; sunt autem haec:

Edyll. XIII praef. §. 2 *nec caecum suum;* XIV, 23 *nectentia florum;*

Epistul. XVI, v. 29 *convincit Ascraeum senem Non esse saeclum ferreum.* XX, 10 *regie pave tuos*; XXII praef. in prosa; *ut Plautus ait, Per ceram et lignum* (pro *linum*), et subinde: *nota minus* (pro *notavimus*) v. 27 *et nunc paravit triticum casco sale;*

Grat. actio. §. 43 (ed Flor.) *debui et velle te scivi;* §. 46 *altitudo consilii* §. 81 *quae enim memoriam unquam memoria.*

Inde igitur magna cum probabilitate hoc efficitur, Vossianum codicem alterum ex uno eodemque fonte ac V pari fere tempore descriptum esse neque ullo modo cum Tiliano Vineti codice cohaerere. Exsistit autem haec alia quaestio, num is forte idem liber sit atque Vossianus no 33, cum cujus scriptura quattuor locis congruit. Quod vix crediderim. Primum enim, cum Vossianus no 33 codex miscellaneus sit et inter permulta alia nihil Ausonianum praebeat nisi edyll. XII de monosyllabis (quod, cum propter raritatem notabile videretur, illi collectioni addi poterat), omni fere caret probabilitate, olim tantum Ausonianorum carminum quantum Vossianus alter praebeat numerum in illo exstitisse; deinde ex eo, quod Tollius edyll. XII, II, 3 *arte* scripturam, quam Vossianus 33 exhibet, „tertii illius Vossii libri“ esse dicit,

colligi potest, Vossianum 33 non alterum, sed tertium appellatum esse et utrumque pro se exstitisse codicem. Hinc igitur eo adducimur, ut veri simillimum esse credamus, codicem illum jam dudum temporum injuria deperditum esse, praesertim cum a viris, qui nostra memoria de bibliothecarum libris manu scriptis scripserunt, nihil profecto commemoretur. Quae jactura gravior est ac valde dolenda; nam auctoritatem ejus summam futuram fuisse emendandis Ausonii scriptis, id jam ex vetustate et arta cum V cognatione apparet; nec tamen minus valet alterum illud, quod nonnullis locis scripturas praebuisse dicitur a V discrepantes easque ut videtur meliores, sicut epigr. XXVI, 6 *privos;* ephem. orat. v. 52 *errori ipse obnoxius*; edyll. IV, 25 *et truculenta ferox ferat.*

II.

Codex Tilianus quique cum eo cohaerere videntur libri ms.

Codex Joannis Tilii Engolismensis, cum de eo non solum hodie nihil compertum sit,[12]) sed ne a Vineto quidem, qui solus quantum videtur illum in manibus habuit et inspexit, certius quidquam in tot uberrimis commentariis proferatur, mihi de ratione inter hunc et ceteros libros Ausonianos intercedente cogitanti magnam fecit difficultatem; sed tamem, quia nemo adhuc hanc quaestionem movit, qualemcunque sententiam meam proferam. Vinetus igitur, ut supra jam diximus, is est, cujus auctoritate in hac re nitamur: qui quidem vir doctus in commentariis editionis a. 1604 haud raro scripturas codicis Tiliani, quem in „Ausonii vita“ minus antiquum exemplari Lugdunensi esse dicit, a ceterorum librorum scripturis discrepantes affert. Operae igitur pretium esse mihi videbatur, omnes eas scripturas hic illic dispersas in unum colligere vel ideo, ut cognosceretur, quot quaeque Ausoniana in illo codice inessent; neque vero minus, cum cujusnam libri scripturis maxime congruerent. Quod ad hoc

[12]) Id tantum affirmare possum ex epistula a bibliothecae Engolismensis conservatore nuper ad me data, in illa quidem urbe nullum codicis vestigium inveniri.

alterum attinet, cognationem, si qua omnino constet, inter Tilianum librum et Ugoletianam editionem constare manifestum est. Tilianas igitur scripturas nunc certo quodam ordine afferam et, quo facilius cognatio perspiciatur, ubi hae cum illis conspirant, hoc signum *Ug* apponam.

1. **Epigrammata**: II, 3 *quam grandis* [*grandes;* II, 5 *mirantur* (Ug); III, 7 *fractos* [*stratos;* X, 6 *sumit — bibit* [*sumet — bibet;* LVII etiam graece exhibetur; LVIII, 5 *si fallo* [*quod fallo*; LXIX, 1 *joca res* [*nova res*; CXLVI, inscr.: *in notarium in scribendo velocissimum* (Ug);

fast. I, 9. 10: *Exemplo confide meo. sic protinus et te*
Explicet Ausoniis purpura consulibus (Ug, sed *applicet* pro *explicet*),
[*Exemplum jam patris habes, ut protinus et te*
[*Adgreget Ausoniis purpura consulibus* (V).

2. **Ephemeris**: orat. v. 51 *nec carnis* (Ug) [*nec arcanis* V;

3. **Epitaphia**: XXXII, v. 5. 6:
Quis mortem accuset? complevit munia vitae
Jam meritis anus est et adhuc aetate puella (Ug)
[*Quis mortem accuset? quis non accuset in ista?*
[*Aetatis meritis anus est, aetate puella* (V).

4. **Edyllia**: II, 1 *infimus* [*ultimus* vulg.; IV, 44 *praefectus genitor, proconsul avunculus* [*proc. g., praef. a. vulgo;* VI praef.: *Treviris — Zoili* [*Treveris — Aeoli* vulg.; XII technop. II praef.: *hiulca — levitatem* [*hiulcula — lenitatem* Ug; ibid. de cibis v. 2: *aequoreus* [*aequoreum* vulg.; ibid. grammaticom. v. 19 *frus* [*frons* Vet Ug;

5. **Eclogarium** de mensibus (Bip. p. 228) v. 5. *autumnat* [*Autumnus* vulg.;

6. **Epistulae** VIII, 13. 14:
Nobiscum invenies nullas, quia liquimus. eja
Vale. valere si voles me, vel vola (Ug, sed v. 13 *multas — eio*)
[*Nobiscum invenias multas, quia liquimus istic*
[*Nugarum veteres cum sale relliquias* (V, sed *multas* corr. in *nullas*)

XV, 33 *fastidio* [*fastigio* vulg.; XVI praef. 2: *hos* (Ug) [*hoc* vulg.; v. 19 *senati* [*senatui* Ug; XIX tit.: *Ausonius Pontio Paulino, cum ille misisset poemation versibus plurimis de regibus*

ex Tranquillo collectis [*Ausonius Pontio Paulino filio;* XXII, 1 *aliave qua navi* [*aliave quavis navi* vulg.;

7. **Gratiarum actio** §. 3 (ed. Flor.) *votis pro tua salute* [*votis votisque p. t. s.* Ug.; §. 6 *et nihil poterit* [*sed n. p.* vulg.; §. 17 *ad alterius efficaciam gratius* [*ad a. gratiam rectius* vulg.; §. 27 *alios* [*alteros;* §. 70 *omnia quae punctis* [*omnia quasi p.;* §. 71 *pigenda* [*poenitenda;* §. 74 *semina* [*seminaria.*

Quo ex scripturarum conspectu tum quae cognatio inter Tilianas et Ugoletianas intercedat, tum quantum Tilianae ab V scripturis recedant dilucide apparere puto. Quae cum ita sint, tota mea ratiocinatio, quae quam incerta adhuc in tanta subsidiorum inopia sit ipse sentio, rem accuratius perpendenti ut veri saltem similis fortasse probabitur, ita ut hoc quidem mihi concedatur, duas inter Ausonii emendandi subsidia distinguendas esse familias vel classes Vossiano et Tiliano libris ducibus. Nec non confirmare videntur hanc meam sententiam ea, quae in editione Commeliana Heidelbergae 1588 (a Josepho Scaligero facta) post indicem operum Ausonii leguntur: „Omnia ex duobus antiquis et pluribus novis exemplaribus recognita: quorum veterum exemplarium alterum Jo. Tilii Engolismensis, alterum Steph. Charpini Lugdunensis fuit.“

Difficilius autem quam ut certi aliquid efficiatur est de hujus alterius classis, si hoc quidem nomine uti licet, libris et ratione inter singulos intercedente dijudicare, quia primum ipsius ducis argumentum atque auctoritas ex tam parvis tantum reliquiis ab uno Vineto traditis cognosci possunt, deinde quia ne de ceteris quidem libris satis multum compertum est: id unum pro certo habeo, plurimam hujus classis apographorum partem fundamentum fuisse eis editionibus quae in Italia impressae sunt. Inter quae primum locum *Tristani Chalci codex* obtinuisse videtur, quo Thadaeus Ugoletus usum se esse dicit „in corrigendo eo volumine, quod de ludo septem sapientum inscribitur nec non in catalogo nobilium urbium.“ Quamquam is codex haud dubie minimam Sapientum carminis partem praebuit, cum in Ugoleti editione praeter Septem Sapientum Sententias omnia cetera desint.

Antonii Bernerii libro idem ille Ugoletus usus est: unde Periochas in Homeri Iliadem et Odysseam hausit.

Hic statim tres codices Parisinos subjungam, quorum duo priores, cum nonnullis locis cum Ugoletiana editione conspirent, cognati Tiliano codici esse videntur; de tertio idem suspicor, affirmare tamen nequeo, cum hujus libri collatio in manibus mihi non sit.

Parisinus no. 7558 membran. saec. IX. Insunt haec: quat. XII oratio Sancti Paulini (Omnipotens genitor rerum); oratio ex ephemeride; Auson. epist. XXV et XXIII; Ausonio Paulinus: *Defore me* 59. (Bip. pp. 345—352); quat. XIII: Auson. epist. XXIV, vv. 103—132 (Bip. p. 280); Paulinus Ausonio *(Quarta redit duris — si vivam ut libet)* vv. 1—120 (Bip. pp. 342—345).

Parisinus no. 8284 membran. videtur esse saeculi XV. Insunt in eo praeter Martialis, aliorum etiam Ausonii nonnulla epigrammata.

Parisinus no. 8500 membran. videtur saec. XIV. exaratus, exhibet praeter Fulgentii mythologias, Prudentii de natura animae et de fide carmina, Symmachi et aliorum ad Ausonium epistulas Ausoniana haec: ludum et sententias VII sapient.; periochas in Hom., Paulini et Ausonii epistulas mutuas, epist. ad Symmachum edyll. I, claras urbes.

III.

De ceteris in quibus Ausoniana insunt libris manu scriptis cum nihil fere nisi quod in biblothecarum indicibus exstat compertum habeam, quia neque oculis illos inspicere neque collatione uti mihi contigit, si mera tantum nomina hinc illinc collecta afferam, veniam peto. Quos quidem ea lege enumerabo, ut, quibus in exemplaribus carmen aliquod reperiatur, statim possit cognosci.

1. **Epigrammata:**

XVIII, XXIII, XLII, CXIX exstant in cod. Laurent. plut. 91 no. 42.

LXXII (Abjecta in triviis sq.) in Laurent. plut. 33 no. 31 saec. XIV.

Laurent. plut. 89 no. 25 saec. XIII

Sangallensi no. 397 saec. IX.

2. **Caesares**, plerumque Suetonii scriptis additi, in his libris ms. exstant:

Vindobon. no. 264 et 266, saec. XV
Laurent. plut. 64 no. 1, 6, 9, 39
plut. 89 no. 8
plut. 90 no. 39
plut. 45 no. 26.
Parisin. no. 5801 saec. XII, no. 5802 saec. XIII
no. 5805, 5806, 5808, 5811 saec. XV.

3. **Sapientum Sententiae** insunt in
Vindobon. no. 379 chart. saec. XIV fol. 171—172.

4. **Edyllia**

a) XIV Rosas, XVI De viro bono, XVII Est et Non, quae Vergilio adscribi solent, hi libri plerumque Vergiliani (cf. O. Ribbeck, Vergilii opera 1868 vol. IV: append. Vergilian.) exhibent:
Helmstadiensis no. 332 nunc Guelferbytanus, Thuaneus Parisin. no. 8069, saec. X vel XI, Vossiani no. 265 saec. XV, no. 78, no. 96 (XIV deest), Vaticani no. 3252 saec. IX, no. 3255 saec. XV (ed. XIV deest), Harlejanus no. 2534, Vindobonensis no. 129 saec. XV, no. 305 saec XV (ed. XVII deest), Laurent. plut. 39 no. 18 saec. XV (ed. XVI deest); Sangall. no. 397 saec. IX (XVI et XVII desunt); — edyll. XVIII exhibent Helmstadiensis no. 332 et Rehdigeranus (una cum ed. XIX). Praeterea de hac re conferas Alex. Ries. Anthol. lat. fasc. II. praef. et pp. 91—100.

b) Ex eis qui *Mosellam* exhibent libris ms. praeter Sangallensem no. 899, cujus auctoritatem huic carmini emendando summam esse supra jam diximus, unus hoc loco describatur

codex *Rhenaugiensis* (Rheinau i. Cant. Zürich), nunc bibliothecae acad. Turicensis, membranaceus, numero LXII (in Boeckingii editione Mosellae p. 3 errore typographi numero LXXII) signatus, saec. XII. Est autem Prudentii codex nitidissime scriptus, cui in fine Ausonii Mosella et carmen de XII lapidibus subjuncta sunt, atque hunc habet titulum: „Prudentii poetae christ. Psychomachia et Hymnodia alia-

que ejusdem. Et Ausonii Mosella. XII lapides. Saec. XII. LXII" Carmen de XII lapidibus, quod nemo adhuc quantum sciam commemoravit, centum et viginti hexametris constat: Ausonii hoc esse, persuadere mihi non possum.

Praeterea a Boeckingio (Jahrb. d. V. v. A. f. d. Rh. VII p. 3) hi Mosellae libri commemorantur:

codex *Bruxellensis no. 5370* (cf. catalogue des manuscrits de la bibliothèque royale des ducs de Bourgogne tom. I p. 108), membr. saec. XI.

Cornelii Gualtheri Mosella, liber antiquus, de quo nihil comperi.

Gemblacensis liber, in quo praeter Mosellam edyll. XIX et Caesares exstare dicuntur quem eundem esse suspicor atque librum Laurent. plut. 89 no. 8.

5. **Eclogarii** singula carmina quibus in libris reperiantur, jam ab Al. Riesio in Anthol. lat. accuratissime explanatum est. Hos tantum addam libros Sangallenses noni et decimi saeculi:

Sangall. no. 248 et 250 exhibent carmen „*Ad Boreae partes*" sq.

no. 251 et 397 carmen „*Primus Romanas*".

6. **Epistulae** nonnullae insunt in his libris:

Bruxellens. no. 1073 et 1074 (ep. ad Paulinum),

Laurent. plut. 23 no. 20 saec. XV (ep. ad Paulinum)

Sangall. no. 897 (ep. ad Symmachum).

Sed haec quidem hactenus de libris manuscriptis; nihil enim aliud volui nisi eos certam ad rationem compositos enumerare: ac veniendum nobis est ad id, quo potissimum haec commentatio spectare debet, de V codicis ad Ausonium emendandum auctoritate disputare. Quem quidem librum nonnunquam etiam vitiis librariorum laborare, jam supra dixi: ut igitur eam in qua de Vossiani vitiis agendum erit partem praeripiam, primo loco complura afferam exempla, quae plane docent, nimia Scaligerum fiducia Vossiani scripturis auctoritatem tribuisse.

Ac statim initio ephemeridis locus nobis occurrit, quem V sic exhibet: v. 6

tibi causa somni,
multa quod potas nimiaque tendis
Mole saginam,

quae verba editores sine ulla dubitatione receperunt. Quod miror. Exsistit enim quaestio, quid „saginam tendere“ sibi velit. Souchaeus igitur sic argumentatur: „si Juvenalis sat. IV v. 67 dicere potuit: Propera stomachum laxare saginis; cur Ausonio per oppositionem dicere non licuit: nimia tendis mole saginam?“ Quae argumentatio quam perversa sit, quivis videt: accedit autem, quod stomachi notio in *sagina* voce minime inest; sed sola de qua hoc loco cogitari potest notio est crassitudinis, ut Justin. 21 cap. 2 „saginam corporis ex nimia luxuria contraxit“; 38 cap. 8 „sagina ventris beluae similis.“ Quam quidem Floridus amplexus est, cum interpretatur: „distendis arvinam in nimiam crassitiem“ atque multis Boltius operam perdidit exemplis afferendis, quibus doceret, *tendere* pro distendere vel extendere usurpatum esse, id quod nemo negaverit. Neuter autem id curat, num omnino ferri possit haec sententia „crassitiem nimia mole distendere.“ Ferenda profecto non est. Quam ob rem Tollius locum Plautinae Mostellariae I, 1, 63 (Fleck.) „Este effercite vos, saginam caedite,“ Ausonii animo obversatum esse ratus *tendis* mutavit in *caedis*, ut saginam h. e. pecus saginatum caedere idem valeret atque *edere*. Interesse autem aliquid inter haec duo verba, vel ex eo apparet, quod Plautus l. l. praeter „saginam caedite“ diserte etiam „este“ dixit; sed, etiamsi nihil interesset, tamen *nimia mole* ablativi male in hunc locum quadrarent. Mihi quidem vitium in *tendis* voce latere videtur: suspicor enim duos illos Justini locos Ausonio ante oculos obversatos esse, ita ut sic a poeta scriptum esse putem:

Tibi causa somni
Multa quod potas nimiaque ventris
Mole sagina.

Intellegi igitur jam ex hoc loco satis plane poterit, quanta fiducia Vinetus et Scaliger V codicis scripturas receperint. Quod etiam magis apparebit in Parecbasi, cujus

sub finem V in margine exhibet nonnulla verba prima manu scripta; cum autem ab alia manu, quae maxime iisdem prioribus litterarum ductibus utebatur, superscripta sint, nullum prioris scripturae vocabulum cognosci potest. Alterius autem manus scripturam nec Vinetus, qui priorum litterarum reliquiis in errorem ductus „pavetne mequam spes, fides“ legit, nec Scaliger, qui „pavesne quicquam spes, fides“ ultimum hujus carminis versum esse voluit, recte tradiderunt; immo vero haec est:

pavetne quicquam spes fides,

quae verba minime Ausonii, sed absurdum librarii alicujus additamentum eaque de causa expungenda esse, Souchaeus jam docuit in Animadversionibus.

Huic loco statim alium adjungere placet edyll. III, in quo simile latere videtur additamentum. Hujus enim edyllii praefatio sic in V codice praebetur: INCIPIT DE PREDIOLO PRAEFATIO IN PROSA *cum de Palatio post multos annos honoratissimus quippe jam consul redisset ad patriam, villulam quam pater reliquerat introgressus, his versibus lusit, Luciano stilo*, ubi ultima verba „Luciano stilo“ quid sibi velint, non intellegitur. Scaliger igitur mutavit: *Luciliano stilo,* quae mutatio in omnes editiones recepta est. Sed quaeritur in primis, de quonam stili Luciliani genere hic dicatur. Cum autem de eo, quo Lucilius, teste Horatio, carmina parum diligenter elaborata ex tempore scribebat, cogitari non possit, nihil aliud restat quam id, quod Souchaeus amplexus est, cogitare de „stilo simplici et priscae venustatis.“ Id autem maxime offendit, quod, cum multa Ausonii carmina eadem simplicitate ac venustate sint, hoc tantum Luciliano stilo scriptum dicatur; praeterea non appareret, cur praecipue Lucilii imitator Ausonius hoc uno in carmine habendus sit. Quare alia *Luciano stilo* explicandi via eaque multo simplicior ingredienda est. Constat enim ex epist. XXIV v. 95 Ausonium in Novero pago apud Santones tres fundos habuisse: e quibus cum unum tantum Lucaniacum saepius in carminibus commemoretur,[13]) colli-

[13]) cf. epigr. XXX, 7; epist. XXII praef., ibid. v. 43; etiam epist. Paulini v. 256 (Bip. p. 350).

gendum est, plurimum senectutis tempus poetam in illo degisse. Qui quidem fundus num idem fuerit atque ille, quem hoc carmine poeta celebrat, e nullo carminum vestigio cognosci potest; id autem mihi persuasissimum est librarium quendam, cum praefatione illa lecta indicium nominis villae Ausonianae desiderari sentiret, de fundo Lucaniaco utpote non semel a poeta commemorato cogitantem sua sponte hoc nomen margini adscripsisse. Quod si ille sic, ut veri est simillimum, scripsit *Lucaniaco villa*, facile inde (de librariorum in longobardicis litteris scribendis inconstantia supra jam dixi) *Lvciano stilo (stllo)* oriri ac postea e margine in poetae verba irrepere potuit.

Postremo unum promam exemplum, quo studium illud Scaligeri non rectum esse luculentissime docetur. Agitur enim de *dependere* vocabulo, quae est in his duobus locis tradita in V codice scriptura:

edyll. XI v. 26. 27: *ter clara instantis Eoi*
Signa canit serus depenso Marte satelles

et epist. IV v. 68:

Accipe congestas mysteria frivola nugas,
Quas tamen explicitis nequeas dependere chartis.

Neutro autem in loco illa vox planam sententiam efficit; nam quod ad priorem attinet, *dependere* pro *suspendere* nunquam ab homine latino dictum est: quare „depenso Marte“ ne idem atque *suspenso bello* esse posse putemus, cavendum erit. Sed valde miror, quod Scaliger *dependere* vocem ea qua usurpari solet notione optime ad hunc locum quadrare ratus artificiosius [14]) quam verius V libri scripturam defendit.

---

[14]) lect. Ausonian. lib. I cap. 17: Vetus liber *depenso*, quod verum est. Primus Parrhasius eumque secutus nugator ille, qui commentarium in hoc opusculum edidit, interpretantur de fabula Martis deprehensi cum Venere, et gallum gallinaceum satellitem, de quo hic fit mentio, esse volunt. Ego sane commentum laudo, tamen verum non puto. Pendet enim a praecedente versus iste: nihilque aliud innuit quam quartam vigiliam, in qua tubicen instantis lucis ter signum tuba canit sq. Mihi haec verior interpretatio. Nam in veteri codice *depenso* legitur, hoc est examinato. Martem enim h. e. castra Martia depensa vocat, in quibus libratis et examinatis aequaliter quatuor partibus noctis vigiliae constituebantur. *Depenso* igitur, ad examen aequaliter partito: aequalibus enim et exacte tributis partibus constant vigiliae.

Primum enim, cum *Mars* saepissime a poetis per denominationem dicatur pro *bello*, tamen nullum exstat exemplum, ubi nomen illud pro *castris* dictum sit; sed ne hanc quidem „castra dependere“ locutionem a quoquam intellegi posse puto; deinde secundum Scaligeri interpretationem *serus* adjectivum minime explicatur; postremo alia exempla, velut edyll. XII, de diis v. 11, ubi in V *pejuria* aperte pro *perjuria*, clar. urb. IX v. 2 *pater* pro *praeter*, et epistul. IV, 41 *pace* pro *parce* scriptum est, docent, eum, qui V librum exaraverit, librarium in exprimenda *r* littera paulo neglegentiorem fuisse. Quapropter multo veri esse similior sententia eorum videtur, qui cogitarunt de fabula Martis cum Venere deprehensi, qualem Lucianus in Somnio suo narrat. Quae quidem sententia altera ex parte eo confirmatur, quod Ausonius, cum griphum scriberet, de industria illius fabulae descriptionem quae minus nota erat (nullam enim neque Homerus Odyss. 8, 266—320 neque Ovidius Metam. 4, 170—189 galli gallinacei satellitis mentionem faciunt) elegisse videtur, ut Symmachum quinam satelles ille Martis esset in dubio relinqueret; altera ex parte confirmatur eo, quod aliis quoque locis poeta *deprendere* vocem eadem notione adhibuit, velut edyll. VI v. 84 et 85, ubi diserte de Marte cum Venere deprehenso dicit „quod vincula caeca mariti Deprenso Mavorte tulit“ et epigr. XC v. 4 „quanti deprensi damna pudoris ement.“ Huc addam etiam edyll. XII, I v. 7 „Sol, cui nec furto in Veneris latet armipotens Mars“; eclog. de mens. (Bip. p. 229) v. 8 „est Marti namque Aphrodita comes“, e quibus locis Ausonium plerumque Martem sibi finxisse cum Venere conjunctum apparet.

Nec minus refellenda est Scaligeri de altero loco (epist. IV v. 68) sententia. Si enim V libri scripturam *quas tamen explicitis nequeas dependere chartis* interpretatur his verbis: „quantumvis examines ac dependas, non tamen poteris explicare,“ sic totam sententiam pervertens in *dependere* voce notionem vult inesse, quae in ea minime inesse potest, differentia enim haud parva exstat, ut vocabulis nostri sermonis utar, inter „erwägen“ et „begreifen“. Cum igitur *dependere* intellegendi notionem non habeat, peculiaris autem ejus notio huc prorsus non quadret, Scaligeri sententiam vix

stare posse, unusquisque mihi concedet, atque adstipulandum erit eis, qui vulgatam scripturam *deprendere* receperunt.

Sed jam haec sufficiant exempla: satis enim inde clare apparere mihi videtur, falsam judicandi rationem a Scaligero initam esse, cum ille Vossiani scripturas apertè vitiosas justo cupidius defendere studeret. Nihilo tamen setius permultis quae aptissimam Ausonii emendandi ansam praebeant vestigiis nec Vinetus nec Scaliger usi sunt. Hoc quo melius intellegatur et singulis luculentis exemplis vera V codicis bonitas demonstretur, nunc e copia admodum magna nonnullos quosdam locos, qui maxime in promptu sunt, in testimonium adhibebo, in quibus ad verba Ausonii emendanda V codex aut scripturam aperte praestantissimam immerito adhuc neglectam aut vestigia praebeat, unde facile medela peti possit.

Ac primum quidem ex *Ephemeride* nonnulla exempla afferam. Orat. v. 1 *Omnipotens solo mentis mihi cognite cultu.*

Sic V praebet cum hoc titulo: *oratio*; in ceteris autem libris hic versus exstat:

omnipotens, quem mente colo, pater unice rerum, cui inscriptum invenimus: *precatio matutina ad omnipotentem deum.* Uter igitur genuinus Ausonii sit, haud difficile est dijudicatu. Cum enim V, excepta tantum initio extremae partis lacuna, totam quae e septem partibus constitisse videtur Ephemeridem, ceteri autem libri ms. nihil nisi orationem exhibeant cumque haec singulari titulo instructa sit: inde plane elucet, id quod jam Vinetus recte sensit, „precationem illam matutinam“ cum sola exstaret, ex media Ephemeride excerptam esse. Itaque non est dubium, quin ea quippe quae loco precationis communis haberetur, alio eoque magis usitato initio instrueretur, atque pro certo habeo, initium orationis sic, ut in V libro est, a poeta scriptum esse. Ex illa autem excerptae orationis condicione etiam hoc sequitur, ut reliquis hujus carminis locis emendandis minus certum praesidium a ceteris libris sperandum sit quam a V libro.[15])

---

[15]) Sic, ut in transcursu haec afferam, orat. v. 34. 35 *nos sera nepotum Aetas, veridicis, olim praedicta prophetis* emendandum puto, cum V *olim* pro *aetas* praebeat, nec persuadere equidem mihi possim, illud a librariis

Eo magis miror, quod

v. 39 *semita ventosae superat vaga nubila lunae*,

ubi ceterorum scriptura cum Vossiani scriptura congruit, Vinetus et Scaliger tamen *nubila* mutarunt in *lumina*, quod etiam Floridus defendit. Rectissime autem Tollius hanc mutationem rejecit traditam scripturam restituens. Non enim solum versibus quos legimus in ultima Ephemeridis parte (Bip. p. 60)

v. 34—36 *Ite per obliquos coeli, mala somnia, mundos*
Irrequieta vagi qua difflant nubila nimbi
Lunares habitate polos,

in quibus prorsus eadem sententia expressa est, *nubila* confirmatur; sed jam per se *lumina* in hunc locum non quadrat. Oppositionem enim inter lacteam puri caeli semitam et proxima verba esse poeta voluit; minime autem lumina, etiamsi vaga dicantur, ne sic quidem opponi possunt puro caelo: cui optime opponitur regio lunae multis et tristibus nubilis impleta. Etiam *ventosae* adjectivum sic tantum recte suum locum obtinet.

Egressio v. 2. 3 (Bip. p. 58):

Quamvis satis nunquam rei
Fiat precatu numini.

Sic ediderunt Tollius et Floridus, Gronovii sententiam amplexi: V *reis* et *numinis* praebet. Illam autem Gronovii mutationem non emendationem esse puto, cum sic saltem prorsus alia evadat sententia. Nam si Gronovius interpretatur: „quamvis numini sive deo nunquam satisfiat precatu rei," id sic intellegitur, quasi deus nimis cupidus sit reorum precationis; immo vero hoc poeta dicere voluit, nunquam homines utpote reos satis multum posse deum precari. Suspicor igitur in *nunquam* vocabulo etiam *a* praepositionem latere (facile enim, cum compendiis librarii uterentur, ex *nunq̃a* una tantum lineola paululum de sede sua remota

---

in Ausonii verba illatum esse: facile autem fieri poterat, ut librarius in describendo oculis ad versus 39 initium *(semitave)* aberraret et *semina* pro *aetas*, quod propter notionis similitudinem non offendit, substituerit; porro v. 51 *nec arcanis* pro *nec carnis*, v. 80 *nate* pro *Christe* secundum V libri auctoritatem mutaverim.

nunqã oriri itaque haec praepositio intercidere poterat) atque sic hunc locum scribendum esse:

Quamvis satis nunquam a reis
Fiat precatu numinis.

Loci invitationis v. 2 in omnibus editionibus sic exstat:

ne nos vel illi demoremur prandium.

„Sic fuit," ut ait Vinetus, „in exemplari (h. e. Vossiano), nisi quod quispiam pronomini *illi s* supra addiderat, quasi legendum foret *illis.*" Si vero ille vir doctus accuratius litterarum ductus inter se comparasset, nullo negotio invenisset, *s* litteram ab eadem prima manu, quae cetera omnia scripsit, additam esse, id quod saepissime in V libro factum reperimus. *Illis* scripturam autem multo esse praestabiliorem, solus Souchaeus rectissime sensit: „patet enim," inquit, „ex his, quae infra puero dicit poeta „„scis ipse qui sint,"" illos jam vocatos fuisse."

In ultima Ephemeridis parte, cujus titulus et initium (quot versus deperditi sint nescimus) casu quodam intercidit, vv. 15 et 16 (Bip. p. 60) secundum Scaligeri mutationem vulgo sic praebentur:

probrosa recedit
Culpa tori et profugi minuiscunt crimina somni,

ubi ille *minuiscunt* restituit e verbis Vossiani *munus quũ crimina*, quae per se sanam sententiam non efficiunt. Sed tamen cavendum est, ne fallamur Scaligerique ingeniosiori quam veriori mutationi ullam fidem habeamus: *minuiscere* enim omnino non est quantum sciam vocabulum latinum, immo ab illo ipso formatum, et magno errore factum est, ut spurium hoc vocabulum etiam lexicis insereretur. Quid autem opus est remediis tam ambiguis, cum simplicius poetae verba sanari possint? Lenissima enim traditae V libri scripturae mutatione optime sic evadit sententia:

probrosa recedit
Culpa tori et profugi munus cum crimine somni.

Sunt etiam in *Parentalium* carminibus complures loci, qui summa cum probabilitate ex Vossiani libri auctoritate emendentur.

III, 2 *dicere set rea fit tertius arborius,*

Sic V praebet. Quae verba corrector editionis Tornaesianae,

cum quid sibi vellent non intellegeret, nimis artificiose ita mutavit: *diceris, serie tertius Arborius.* In plerasque autem editiones quae Vossianus tradit eaque sic distincta recepta sunt:

dicere sed rea fit, tertius Arborius.

Quae non ferenda esse puto. Sententiam quidem si Floridus hanc esse vult: „verum pietas mea tenetur appellare Arborium tertio loco," hanc totius hujus loci vim esse concedo; tamen, si grammaticam spectas, omnino latine sic non dicitur. Mutatione autem paene nulla e Vossiani scriptura sana evadit sententia. Si enim memineris, mori sui temporis verborum distrahendorum librarium V libri indulsisse, facile intelleges, *s* litteram in *set* voce conjungendam fuisse cum praecedenti *dicere* vocabulo. Quod rectissime meo quidem sensu Tollius perspexit, ac prorsus illi assentior sic hunc versum emendanti:

Diceris, et rea fit, tertius Arborius.

Neminem autem, qui multum in Ausonii carminibus legendis versatus est, nominativus pro vocativo dictus offendet, cum innumerabilia hujus confusionis exempla hoc usitatissimum Ausonio fuisse doceant: e quibus potissima sunt Parent. XVII v. 13 *mente bonus* et v. 15 *lingua catus, ore canorus;* Prof. III v. 9 *bonus frater* et v. 10 *nate pius.*

Locus a criticis vexatissimus, quem ratione Vossianae scripturae accuratius habita paene nullo negotio sanari posse puto, hic est:

IV, 25. 26 *Amissum fletu post trina decennia natum*
Saucius oclervo lumine cassus eras.

Sic qui V librum inspexerunt legerant. Ubi Scaliger primum recte mea quidem sententia *fletu* mutavit in *flesti;* deinde *oclervo* in *ocle tuo*, cujus mutationis hanc affert rationem: „ocle, ocule, hoc est saucius oculus tuo lumine cassus eras. vocandi casu pro nominativo Ausonium uti saepe ostendemus. Tamquam filius esset lumen oculi, hoc est patris." Quod prorsus refellendum est: non enim solum *ocle* syncopa omni caret exemplo, verum etiam tota illa quae efficitur sententia tam quaesita est, ut vix quisquam Ausonium sic scripturum fuisse crediderit. Quare Lipsius pro *oclervo* scripsit *ac laevo*, ita ut laevum lumen intelle-

geret filium, quo pater orbatus fuerat. Sed ne hoc quidem placet, cum certa quaedam ratio admodum desideretur: subest enim quaestio, cur Ausonius non *dextro lumine* scripserit, atque omni jure Barthius monet, filium potius „dextrum lumen“ quam laevum dicendum fuisse, superstite tantum filia. Qui vir doctus ipse *atque uno* scribendum esse censuit, id quod plerumque in editionibus nunc exstat, ac nihil profecto in hac scriptura reprehendendum videtur nisi quod nimis a tradita recedit. Quam autem ineptum interdum sit, remotiora quaerere antea quam in id, quod ante oculos propositum est, diligentius inquisiveris, hujus rei luculentissimum exemplum hoc loco revera exstat.

Ac primum quidem monendum est, in V codice non *oclervo* sed disertissime *ocletuo* exhiberi; tum vero alterum hoc constat, librarium *h* litteram, ubi adponi eam oportebat, plerumque omisisse: quare veri simillimum est, in *ocle* formae monstrosae initio *hoc* latere; huc tertium accedit, quod certissimis exemplis adductus partem saltem V codicis a librario de dictando scriptam esse suspicor: itaque facile fieri poterat, ut librarius, cum male auribus dictantis vocem exciperet, *le* pro *que* scriberet. Haec Nicolai Heinsii ratiocinatio fuisse videtur, qui scribendum proposuit:

Saucius hocque tuo lumine cassus eras.

Quae emendatio, cum omnem prae se ferat probabilitatis speciem, miror quod omnes praeter Boltium viros criticos fugit.

Jam paucis verbis attingam duos locos in praecedentibus versibus exstantes, ubi de V libri scripturis quae a vulgatis recedunt nemo adhuc disputavit.

v. 22 *sedula quam timidi* in editionibus legimus, *quo* pro *quam* V praebet: *quo* autem nihil aliud est quam *quod*, cujus *d* littera finalis ante subsequentem *t* intercidit. *Quod* scripturam igitur multo praestare unusquisque mihi concedet, cum hoc loco non de ipsa formula in tabulis condita agatur, sed de formulae argumento tantum; non enim matri tabula illa in manibus erat, ita ut retegere posset, sed arcanum solum non ignorabat, quod avus cum ea communicaverat.

Ejusdem libri auctoritate nitor etiam v. 24: ibi V praebet *fortis tela cavenda duae*, pro quibus editores, fortasse verbis

quae v. 13 leguntur: *grassantis dudum fortunae tela paventem* commoti, *Fortis — deae* substituerunt, ac tam recte emendasse sibi visi sunt, ut ne operae quidem pretium esse ducerent, hanc discrepantiam commemorare. Puto autem duabus de causis, quod illi proposuerint vix stare posse: primum enim nusquam in Ausonianis carminibus, ne in edyll. XII quidem, ubi de diis et deabus poeta loquitur, ulla Fortis deae mentio fit; tum, si scripturas inter se comparamus et quaerimus, utra ex Vossiana facilius oriri potuerit, vix fieri potuisse manifestum est, ut librarius de dictando scribens *deae* auribus exciperet *duae* scriberet.

Quodsi quae mea est de V libri auctoritate opinio alicujus momenti esse videtur, totus hic locus sic scribendus est:

Non ignota tibi nostrae quoque formula vitae,
Signatis quam tu condideras tabulis;
Prodita non unquam: sed matris cura retexit,
Sedula quod timidi cura tegebat avi.
Tu novies denos vitae cum duxeris annos,
Expertus sortis tela cavenda tuae.
Amissum flesti post trina decennia natum
Saucius hocque tuo lumine cassus eras.

Tertius in Parentalibus locus nobis occurrit, quem ex V libri vestigiis sanari posse puto.

XII, 1. 2 *Si qua fuit virtus, cuperet quam femina prudens*
Esse suam, soror hac driadia non ruit.

Sic hi versus a prima manu scripti in V exstant: altera manus *non* in *nan* mutavit, tertia denique expunxit. E quibus verbis ultima Scaligero sic restituenda esse visa sunt: *soror hac non Driadia fuit?* Sed, quamvis hujus versus sententia sic bene evadat, tamen nimium suo ipsius arbitrio illum indulsisse nemo profecto negabit: nullo enim jure *Dryadiae* vocis primam syllabam correptam, paenultimam productam esse voluit, cum praesertim e carm. XXIII, 10 et XXV, 1 dilucide appareat, Ausonium tres primas illius vocis syllabas dactylum esse voluisse. Accedit quod transpositio *non* particulae nimis violenta est, cum imprimis quaerendum esse mihi quidem videatur, num fieri ullo modo possit, ut haec particulae collocatio post *Driadiam* explicetur.

Plurimi igitur Gronovii conjecturam *enituit* pro *non ruit* scribentis ut quidem optimam in editiones receperunt. Sed neque hac neque Nic. Heinsii *emeruit* proponentis mutatione genuina Ausonii verba restituta esse puto: utrumque enim vocabulum ab Ausoniano sermone usuque dicendi nimis alienum esse videtur, cum alterum nusquam omnino usurpatum reperiatur, alterum eam saltem quae hic requiritur parandi notionem in ejus carminibus non habeat. Sed, ut ad id, unde declinavi, revertar et in *non* scripturam explicandam inquiram, etiam hic redeundum mihi est ad eandem quam saepius jam movi suspitionem, librarium haud raro de dictando scripsisse eaque de causa vocales quidem litteras recte auribus percepisse, non consonantes. Itaque in illa scriptura *coluit* latere atque antea *hāc* pro *hac* exstitisse persuasum mihi est; *virtutem colere* autem non abhorrere ab Ausoniano dicendi usu satis constat. Postremo quod *a* litteram finalem productam esse volo, ne hoc quidem offendit, cum haec syllaba in arsi sit (Dryadiā́ coluit), cujus rei exempla Raehsius sat multa attulit.

Restat adhuc in Parentalibus locus propter rationes metricas arti criticae factitandae difficillimus, sed ob ipsam hanc causam silentio non praetermittendus. Est igitur carmen XXVII, quod non, ut Vineto, Scaligero, Tollio, Florido visum est, totum e pyrrichiis vel proceleusmaticis, quod carminum genus cogitari omnino non potest, sed ex quattuor dimetris anapaesticis, in quibus arses ultimis pedibus exceptis dissolutae sunt, constat, ut recte Raehsius pag. 32 exposuit. Ac primum quidem, quomodo V liber illos versus tradiderit sciendum est:

et amita beneria properiter obiit
cui brevia mela modifica recino
cinis ut placidulus operta vigeat
celeripes et adeat loca tacita erebi.

Quos versus si ad hanc metricam normam

⏑ ⏑ ⏑ ⏑ | ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ | ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ | ⏑ ⏑ –

restituendos esse putamus, duo priores recepta optima Luciani Muelleri, qui *melea* pro *mela* scribendum proposuit, emen-

datione, nihil praebent quo offendamur. Duobus qui secuntur versibus restituendis primum Scaliger operam navavit et ita quidem, ut v. 3 *ut* in *uti* mutaret, *placidulus* vocis litteram finalem ad proximam vocem traheret, v. 4 singula verba transponeret:

cinis uti placidula supera vigeat
loca tacita celeripes adeat Erebi.

In quibus quamquam largior, *uti* vocis syllabam alteram corripi, cujus correptionis nullum in Ausonii carminibus reperitur exemplum, tamen miror, quod Scaliger, cum in tribus ceteris versibus certae cujusdam metricae legis rationem habuerit, non sensit v. 3 unam syllabam, ut metro satisfiat, desiderari. Quare Raehsius *et* particulam, quam V liber quarto versu exhibet, tertio versui extremo addendum esse *(supera vigeat et)* censet. Sed hoc duri aliquid habere ipse jam concedit neque ego quidem probaverim, cum praesertim alia eaque minus dura medela a V codice speranda mihi videatur, si quis accuratius quae tradita sunt examinaverit. Omnino enim adhuc a viris doctis omissum est, quod v. 3 V liber *soperta* praebet: ubi *t* littera quid hoc loco sibi velit quoque modo explicari possit quaeritur. Equidem non possum, quin *ea* pronomen ibi latere, *a* litteram finalem autem *supera* vocis per elisionem propter sequentem vocalem suppressam esse putem. Non enim alienum est neque ab aliorum poetarum vel praestantissimorum neque ab Ausonii consuetudine, pronomen determinativum per se solum demonstrativi loco usurpari, id quod haec exempla docent: epigr. CIV, 6; CXXVIII, 2; Sapient. Thal. v. 16 (Bip. p. 144).

Unum tamen etiamnunc restat, quod mihi quidem suspitionem quandam moveat; vix enim persuadere mihi possum, Ausonium de cinere in terra composito *vigeat* dicturum fuisse; immo vero *jaceat* eum dixisse suspicor. Ad quam sententiam confirmandam luculentum exemplum in promptu est, quo magna cum probabilitate appareat, facile *vigeat* scripturam e *iaceat* oriri potuisse. Edyll. IV, 39 enim, ubi in editionibus *jusserit* legimus, V et Vossianus alter, quos eodem ex fonte derivatos esse supra demonstravi, tamen diversas has scripturas praebent: alter *iuxerit*, alter *vixerit*.

Ex quo exemplo optimo jure de hoc loco sanando concludi posse censeo: ergo cum constet *iu* (ia) et *ui* (vi, ai) syllabas nec minus *c* et *g* litteras plerumque inter se confusas esse, vix dubium erit, quin hoc loco, in quem *vigeat* minime, *jaceat* optime quadrat, alterum hoc restituendum et versus tertius sic scribendus sit:

cinis uti placidula supera ea jaceat.

in quibus verbis hanc vim inesse volo: „utinam haec placide supera h. e. in terra cinis jaceat.“ De industria autem hoc addo, ne quis adstipulari me putet Scaligero, qui *placidula* et *supera* ad *cinis* refert atque hanc vocem ait saepius feminini generis esse apud Catullum, Propertium, Vergilium, alios. Quod quidem negari non potest; tamen constat, omnibus quibus vox illa exstet locis Ausonianis (parent. praef. v. 11; V, 11; IX, 30; profess. VIII, 18; XXVI, 11; XXIX, 2; epist. XXIII, 4) generis eam esse masculini.

Jam de ultimo hujus carminis versu nunc saltem non ausim dijudicare et in Scaligeri mutatione, quamvis a Vossiani scriptura ea discedat, subsistam, cum omnino non constet nec facile effici possit quas Ausonius in scribendis his anapaesticis versibus rationes metricas secutus sit.

Etiam e *Claris Urbibus* locum afferam, qui medicina adhuc eget. Carm. XIV (Burdigala) vv. 10. 11 in editionibus sic exstant:

Ver longum brumaeque breves, juga frondea subsunt.
Fervent aequoreos imitata fluenta meatus.

Quae verba maxime offendunt his potissimum de causis.

Primum *juga frondea subsunt* non videntur ab ipso Ausonio profecta, sed additamentum esse librarii cujusdam. Quod ut credam, eo maxime adducor, quod altera ex parte Ausonius, quotiescunque de patriae suae virtutibus loquitur, semper *juga vitea*, nusquam *frondea* commemorat, altera ex parte tria illa verba minime huc quadrant neque ullo modo cum praecedentibus cohaerent; miror autem, quantam Vinetus (eumque fere omnes secuti sunt) *subsunt* scripturae defendendae operam dederit,[16]) prorsus supervacaneam: sive

[16]) „*Subsunt* hic pro superiora sunt, supereminet et se magis attollunt, positum videtur; *sub* namque praepositio, quae proprie *subter* et *infra* sig-

enim *supereminent* sive *in propinquo sunt* intellegas, tamen ineptissima hoc saltem loco ea habebitur. Deinde v. 11, si diligenter mecum reputo, non arte cohaeret cum praecedenti: *fluenta* enim cum non eandem vim habeant atque *flumina*, sed id, quod nostro sermone „Fluthen" dicimus, significent, necessarium videtur, ut haec vox ad fluminis alicujus nomen referatur, quem ad modum in his Ausonianis exemplis fieri videmus: Mosell. 22 *amoena fluenta subterlabentis Mosellae;* v. 349 *tua glauca fluenta dicere;* v. 355 et 356 *tuas properat — ire sub undas, interceptis tibi gratificate fluentis.* Desideratur ergo inter v. 10 et 11 tertius versus, quo quae v. 11 exstant apte referri possint.

Ac V liber non solum hunc, quem desideramus, versum, sed etiam illius ineptissimi additamenti loco scripturam praebet dignissimam quae genuina Ausonii habeatur. Praebet enim V diserte haec:

ver longum brumeque novo cū sole tepentes
estifluitque amnes quorum juga vitea subter
fervent equoreos imitata fluenta meatus.

Sic igitur primum versum optime incedere, etiam confirmatur duobus his Horatii et Statii locis, quos Ausonio ante oculos obversatos esse constat: Hor. Carm. II, 6 v. 17 et 18 *ver ubi longum tepidasque praebet Jupiter brumas*, et Stat. Silv. III, 5 v. 83 (Bip.) *sedes, Quas et mollis hiems et frigida temperat aestas.* [17])

Nec non alter versus, quem Vinetus injuria ab Ausonio abjudicat, [18]) Ausonii musa dignus est: *estifluitque* enim,

---

nificat, interdum contrariam habere significationem reperitur, ut in *subnixo* apud Gellium (libro XVII, II, 4 ea, inquit, dum fiunt Latini subnixo animo) et in Gallo Vergilii: *Quantum vere novo viridis se subjicit almus*, ubi *subjicit* exponit vetus commentator, sursum jacit et superjacit" exstant in edit. a. 1604, 208 O.

[17]) Conferas etiam ex ipsius Ausonii carminibus hunc locum:
epist. XXIV v. 97, 98 *Egelidae ut tepeant hiemes, rabidosque per aestus*
Adspirent tenues frigus subtile Aquilones.

[18]) Has Vossiani scripturas nullius momenti esse ratus Vinetus haec tantum dicit: „Lugdunense exemplar habet *novo cum sole tepentes*, subjungitque versum qui in aliis nec reperitur nec legi debet (!): *aestifluique* e. q. s."

quod nihil aliud est quam *aestifluique*, quamvis in hujus poetae carminibus non reperiatur, tamen non habet quo offendat, cum ipsam hanc vocem legamus scriptam in Anthol. lat. (Ries.) no. 720 v. 3 *quaeque sub aestifluis Thetis umida continet antris* (Solin. fr. Pont.) et similes formationes velut *vestifluus* aliae ne ab Ausonio quidem alienae sint. Hoc igitur versu addito demum tota sententia concinna fit. Quare sua Ausonio verba, criticorum vel librariorum injuria paene deperdita, nunc restituamus e V libri auctoritate:

Ver longum brumaeque novo cum sole tepentes;
Aestifluique amnes, quorum, juga vitea subter,
Fervent aequoreos imitata fluenta meatus.

Venio nunc ad eos locos, quibus in *edylliis* Ausonii emendandis Vossiani auctoritas haud spernenda esse videtur. Quorum primum esse puto edyll. I, v. 10 et 11, ubi in omnibus quod sciam editionibus legimus:

Tu brevis hunc aevi cursum celeremque caducae
Finem animae donas, aeternae munere vitae,

quibus in verbis *celeremque* illud inepti aliquid habet et languidi: primum enim non intellegitur, cur finis animae *celer* dicatur; tum vero parum assequor, quo modo celer animae finis cohaereat cum munere aeternae vitae. Nemo autem vidit, quod V liber diserte *celebremque* praebet: quae scriptura optime ad totam hanc sententiam quadrat: summum enim pio cuique homini id debet esse, quod animus noster caduci corporis vitiis antea subjectus morte aeternae vitae particeps fit.

Edyll. IV v. 95 et 96 in editione Bipontina legimus:

Posses ornatus, posses oneratus haberi:

Sic Floridus mutavit posthabitis quae Barthius (quem Tollius secutus est) in hunc locum protulit. Barthii autem sententia eo spectat, ut *honorare* interdum etiam secunda syllaba correpta quasi *honerare* pronunciatum esse ratus, *posses ornatus*, *posses honoratus* scribendum censeret. Quam sententiam vix stare posse puto: jam enim ipse concedit, poetae, cujus ex carminibus exemplum in testimonium adhibuit, „nullam omnino auctoritatem esse.“ Sed ne eorum quidem, qui *oneratus* scripturam defendunt, rationes mihi

probantur. Nam quod dicunt, non mediocriter Ausonium paronomasiae figura delectatum esse, in eo quidem mihi cum illis convenit; quod autem proximis verbis *honor* et *onus*, quae consulto sibi opponuntur, commoti, etiam hoc loco *oneratus*, ut *ornatus* voci oppositum sit, reponendum esse statuunt, ob hanc ipsam causam recipiendum nego. Apparet enim, id voluisse poetam, ut, postquam nepotem clarum, ornatum, inclitum dixit, mitissima adhortatio laudem sequatur; ineptum autem fuisset, si avus medias laudationes adhortatione interrupisset, neque Ausonium sic scripturum fuisse putabimus paronomasiae tantum adhibendae gratia.

Etiam hac in re V libri praestantia optimam eamque simplicissimam emendandi viam ostendit. Qui praebet:

possessor natus posses honoatus haberi.

Honoatus igitur nihil aliud est quam *ornatus*, quam vocem librarius corrupit et *h* littera donavit; ceteras autem voces sic, ut in codice exhibentur, et scriptas et distinctas, relinquendas esse censeo intactas. Itaque sic puto Ausonium scripsisse:

possessor natus posses ornatus haberi.

Sed, ne quem verba *possessor natus* ut ab Ausoniano dicendi usu aliena offendant, conferantur edyll. II, 47 *matronale decus possedit filia*, et epigr. 141, 1 *re fruere, ut natus mortalis.*

Subinde v. 100 ejusdem carminis, ubi editiones omnes *speresque* praebent, in V codice exstat *seperes*, sed V a prima manu superscriptum. Atque hoc exemplo luculentissime comprobatur *Coleri* juris consulti Romani conjectura, qui in Parergis (cf. thesaurum juris romani, Lugd. Batav. 1725) cap. 30 *superare* hoc loco scribendum esse proposuit, quod eandem vim haberet atque „consequi".

Postremo ex *epistulis* complures locos afferam, quos V libri auctoritate emendare tentavi.

Jam duobus primae epistulae locis de genuina scriptura nondum constare mihi videtur. v. 13 si *atque aetas quia nostra eadem* in editionibus legimus, *atque* particula neque ex libris ms. quantum sciam hausta neque huic sententiae

apta est: nam, quod ad hoc alterum attinet, Ausonius dicere vult non revera, sed propemodum eandem aetatem sibi et patri esse. Quibus verbis solus Vinetus e V libro auxilium petivit: quid autem de illius scriptura judicaverit, vix possum assequi, cum in textu quem dicunt *non* pro *atque* scribat, in adnotationibus autem *Bam*, in quo *nam* latere suspicetur, libri scripturam esse affirmet. Ac revera tale quid ego quoque in libro excutiendo inveni, nisi quod initialis littera non B sed P mihi esse visa est. Suspicor igitur *paene*, quam particulam Ausonius adamasse videtur, in traditis litteris latere: quod quidem optime convenit cum tota hujus loci sententia.

Alter locus est v. 26 ejusdem carminis, ubi omnes praeter Tollium editores: *totque putare meos, quot reor esse tuos* exhibent. Rectissime autem Tollius V libri scripturas prorsus contrarias: *totque putare tuos quot reor esse meos* recepit. Apparet enim id dicere velle poetam: „ego, qui meorum annorum numerum scio, tuorum ignoro, puto tot esse tuos annos, quot scio meos esse". Qua in re omnia pendere mihi videntur ab ea, quae *puto* et *reor* verbis tribuenda sit, notione. Cum igitur *reor* vocis vis certe major sit et eadem fere atque *numerare:* inde dilucide efficitur, ut Vossiani scriptura longe praestet.

Jam accedimus ad tertium et ultimum locum, quem legimus epist. IV vv. 69 et 70, ubi poeta Theonem acerbis facetiis irridet propter stultitiam. Omitto nunc, multa verba facere de variis quae de his versibus proditae sunt sententiis plerumque ineptis: afferam tantum V libri scripturas, in quibus aptissima hujus loci tam saepe vexati medicina latet:

Scillito decies si cor purgeris aceto
anticipesque vīvum samii lucomonis acumen.

Ac primum *scillito* est error librarii, qui fortasse ignorabat, hanc vocem graecum substantivum esse *e* littera terminatum; deinde v. 70 *vivum* vel potius *vivū* nihil aliud est quam *bibas,* cujus vocis *s* littera propter sequentem *s* litteram suppressa est. Si vero *bibas* recte restituisse nobis videmur, tum id, quod praecesserit, verbum ex Ugoletianae editionis scriptura colligi potest, quae *anticyramque bibas* praebet. Denique

quid sibi velint verba: *Samii Lucumonis acumen*, facile apparebit, si, quae grammatici veteres afferunt, sequemur: qui quidem Lucumones insanos, Samios acutos esse dicunt. Est ergo *Lucumo Samius* oxymoron quod dicunt, quo poeta utitur ad deridendum Theonem. Ex eis igitur, quae supra dixi, hic locus sic emendandus est:

Scillitae decies si cor purgeris aceto
Anticyrasque bibas, Samii Lucumonis acumen.

Haec potissima exempla mihi visa sunt, unde Vossiani libri auctoritatem ad Ausonium emendandum non nullius momenti esse appareat: frustula tantum sunt, quibus, si deo placet, futuro tempore alia addam, ut, si quando ab acutiore ingenio omnia hujus praestantissimi poetae opera emendatiora in lucem prodierint, aliquid saltem huc contulisse videri possim.

VITA.

Ego, Carolus Otto Axt, natus sum die IV. mensis Julii anni MDCCCXLVIII in vico Saxoniae, qui Niederstriegis appellatur: patre Augusto Ferdinando, pastore apud Niederstriegisenses, matre Alwina e gente Wilisch. Patre mortuo primum gymnasio, quod ad aedem St. Crucis est, Dresdensi ac triennio post scholae regiae Afranae Misniensi, cui tunc Fridericus Frankius rector praeerat, erudiendi causa mandatus sum. Cum absoluto quinquennio maturitatis testimonium nactus essem, academiam litterarum Lipsiensem adii, ut studiis maxime philologicis incumberem. Interfui autem scholis Curtii, Klotzii, Langii, Lipsii, Ritschelii, Zarnckii philologicis, Ahrensii, Drobischii, Struempellii philosophicis, Ecksteinii paedagogicis, Voigtii historicis, Overbeckii archaeologicis. Per biennium sodalis fui seminarii philologorum regii, per sex menses senioris munere fungens, et societatis Klotzii. Imprimis gaudeo Ritschelii et Curtii benevolentia factum esse, ut eorum societatibus interessem. Quae studia mea bis interrupta sunt, primum stipendiis voluntariis per annum h. s. LXVIII faciendis, tum a. LXX et LXXI tam sinistro quam nobis glorioso bello Francogallico, ex quo (deo gratia!) integer redux factus sum.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 073 144 A

AUG 2 1874

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 073 144 A

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 073 144 A